

videlicet illud opus admirabile creaturis grossis, & quoad sensum visibilibus attribuendo, quæ sunt reuera in se mortua, & nullius plane momenti, videlicet soli, stellisq; reliquis, elementis ignis & aeris, terræ calori, mediæ aeris regionis frigori, ex halationibus, vaporibus &c. Quare moneo omnes in philosophia curiosos, vt neque elementis aut elementatis, neque astris, imo vero neque Angelis, quatenus pro creaturis habentur, sed soli Deo creatori pro creationis tantæ & tam miraculosæ opus & actum, & consequenter honorem atque gloriam attribuant, qui omnia hæc imo vero & maiora longe producit in mundo, in & per creaturas angelicas, quæ in proximo respectu propinquitatis atque vicinitatis sunt cum diuinitate, quatenus immediate suscipiunt impressiones luminis seu emanationum diuinarum, quas tum postea mandatu diuino inducti creaturis tam perfecte quam imperfecte mistis impertiri gestiunt. Huiusce rei comparationem quam aptissimam ad vestras considerationes obicere liceat. Quidam homo gladio alterum vulnerat: quæritur autem iam, Quisnam illum hominum vulnerauerit? Alius respondebit (more Peripateticorum qui meteororum causam efficientem igni aut aeri attribuunt) gladius hoc fecit, alter vero (ad instar Astrologorum qui causam agentem meteoris stellisue attribuunt) dicet quod manus percussoris sit effectrix illius facinoris; tertius iterum ad rem propius accedens (cum Magis qui meteororum authores dicunt esse dæmones) dicet esse spiritum in homine qui illud fecit: denique in mysteriis theographicis peritus, oculis aliquantulum acutioribus ad centrum vsque vtriusque rei inspiciens, dicet Deum tam hoc quam illud fecisse. Per quod quidem exemplum mundi error lucide enucleatur. Nos autem hoc in loco de ventis more communi mentionem solummodo faciemus, sub quo nihilominus nomine Angelos DEI, qui ipsos animare solent, subintelligemus: Sed quoniam in hoc membri tertii libello more physico agere & circa elementa versari intendimus, ergo more philosophorum vulgariū hoc in loco de ventis agemus.

CAP. II.

De reecta ventorum diuisione, & quod ipsi sint causæ efficientes (sermone vulgari aut more philosophico communi loquendo) cuiuslibet tam in Aere quam in Aqua aut Terra meteori.

Ventos (quorum animas angelos, vel aperte & manifeste vel occulte lucidos, in superioribus diximus) aut inuisibiles & toti auditui obnoxios facimus, aut visibiles & lucidos, cuiusmodi sunt fulgura, presteres, coruscationes, & similia meteora visibilia, quæ in aere motu violento ducuntur, non aliter quam venti illi, qui sunt visibiles: Ex huiusmodi ergo ventorum speciebus, tanquam primis in mundo elementariū motoribus producuntur atque procreantur omnia alia meteora tam lucida quam tenebrosa, videlicet Cometæ, chasmata, trabes, fulgura, coruscationes, prester, capræ saltantes, ignis fatuus, sulphureæ flammæ, quas euomat terra & huiusmodi alia à ventis lucidis & manifeste igni, qui in sua natura nihil sunt præter aer subtilissimus, ignea anima animatus atq; exagitatus: at vero nubes, nebulæ, vapores, nix, grando, lapides, pruina & gelu à Ventis occultis & minime manifestis quasi efficientibus, & aere occulto & tenebroso in tales effigies contracto quasi tenebrosas; De ventis autem occultis & minime visibilibus hoc in loco verba nonnulla faciemus, idque more vulgari.

CAP. III.

De vento subsolano atq; de eius ventis collateralibus duobus.

Ventus occultus directe ab illo orientis loco flans, in quo linea æquinoctialis interfecat horizontem Orientalem, vocatur *Subsolanus*, utpote qui oritur sub Sole in Zona torrida, videlicet eo directe loco, in quo æquator transit; porro & à Græcis *Apeliotes* nuncupatur. Hic traditur cum suis duobus aliis Ventis collateralibus esse calidus & siccus. Sed hic ventus utpote ventorū orientalium Princeps inter prædictos duos, quasi Virtus in medio consistens, est temperatissimus in sua dispositione ignea instar solis cælestis, vnde & Macrocosmo est serenator & Microcosmo salutaris, Illa ipsius ala dextra quæ flat à puncto illo Horizontis orientalis, quem Tropicus cancri interfecat, hoc est, ab ortu æstiuo, vocatur *Cacias* à sua malitia, & *Helleponticus*, à loco à quo flat: Valde est hic Ventus in sua dispositione inconstans: utpote quandoque cum dispositione Septentrionis frigidus, & nonnunquam cum orientis natura adurens, vt plurimum vero in siccitate omnes excellit ventos, idque à natura loci, quatenus de siccitate Septentrionali seu terræ, atque illa orientis seu ignis